







E. 29. num. 2  
1766.45.  
15

EXERCITATIO IVRIDICA  
QVAESTIONEM CONTINENS

AN

DOTALITIVM SI FOEMINA  
AD SECVNDA VOTA  
TRANSEAT EXPIRET

*S. 406*

QVAM

ILLVST. ICTORVM ORD. AVCTORITATE  
P R A E S I D E

D. FRID. GOTTLIEB ZOLLERO

PANDECTAR. P.P. ECCLES. CATHEDR. NVMB. CANON.  
CVRIAE IN PROVINCIA SVPREMAE IVDICII LVSAT.  
INFERIOR. NEC NON FAC. IVR. ASSESS.

IN AVDITORIO ICTORVM

D. XI. SEPT. MDCCLXVI.

P V B L I C E D E F E N D E T

CHRISTIAN. FRIED. KAVLLFVSS.

L I P S .

L I P S I A E  
EX OFFICINA BREITKOPFIA.





6. 27. 1711

RECHENKUNST  
VON  
JOHANN  
ALBRECHT  
BOETTGER  
VON  
MAGDEBURG  
1711  
MAGDEBURG  
IN DER  
BIBLIOTHEK  
DER  
UNIVERSITÄT  
MAGDEBURG  
VERLAGT

1711







AN  
DOTALITIVM SI FOEMINA AD  
SECVnda VOTA TRANSEAT  
EXPIRET.



otem quod post mariti obitum vel dissoluto matrimonio vxor repetere possit omni dubio caret. In eo enim consistit effectus domini, quod constante matrimonio ob administrationem pariter et vsufructum competentem marito, erat restrictum. Et quamuis minime partes eorum defendere soleo, qui marito dominium quod singulari et legibus incognito nomine ciuile appellant, attribuunt, cum *l. 30. princ. C. de Jur. Dot. ex eo, quod bonorum dotalium legum subtilitate transitus in matrimonium mariti videatur fieri, rei veritas deleta vel confusa non sit*, id tamen consistendum est, marito ob effectus matrimonii liberam competere potestatem administrandi, in tantum, vt vxor facultate contradicendi, nisi causae fonticae obuersione non gaudeat. Reuocatio dotis



4 AN DOTALIT. SI FOEM. AD SECVNDA

tis autem, quam vxor suscipit, non excludit electionem, quam illi vel pactum vel specialis loci consuetudo tribuit. Ex vtroque aut portionem statutariam aut dotalitiū sibi vindicat, ita tamen, vt vno alteroue electo ad dotem petendam non detur regressus.

§. II.

Dotalitiū, est onus feudo cohaerens, vi cuius certi redditus feudi vxori superstiti in compensationem dotis illatae dantur. Fundamentum eius est vel consuetudo loci vel pactum; inter vtrumque tamen haud exigua est differentia, quod si enim ex consuetudine debeatur, electio est penes vxorem, vtrum illud vel dotis illatae restitutionem petere velit, aut si ex pacto ius agendi competat, et ante constitutionem decedat maritus, successores feudi loco dotalitiū dotem reddere, atque insimul totidem ratione donationis propter nuptias offerre possunt, nec audienda est foemina, quae ad constituendum dotalitiū prouocat *CARPZ. P. II. C. XLIV. def. 7.* Reditus quos dotalitiū inuoluit pro diuersitate locorum sunt diuersi. Olim in Germania ipsum feudum vel pars feudi concedebatur viduae, in quo casu ad constituendam cautionem quae usufructuario incumbit tenetur. *CARPZ. P. II. C. El. XLII. d. 8. 9. lib. VI. Resp. L. V. n. 8. 9. 10. II.* aut moribus plerisque correctum et vxori vsurae quotannis praestantur, quae in regula sunt duplicatae, in Saxonia vero cum ex inueterata consuetudine non solum intuitu dotis sed etiam donationis propter nuptias debeantur, quadruplicatas efficiunt. *HORN. Iurispr. Feud. c. XXI. §. 8.*

§. III.



§. III.

Specialiora quae respectu dotalitii obuenire possunt vt peragamus, non conuenit libello, nec deficient, qui eandem materiam summa cum industria nobis reliquerunt. Vnam tantum quaestionem cuius rei causa haec exercitatio conscripta est proponere licebit. Finge casum: Titia post obitum mariti repetitionem dotis respuit, & dotalitium, quod iure facere poterat eligit, nec successibus feudi, cum de illatione dotis constet, datur exceptio. Duorum aut trium annorum spatio elapso vidua ad secunda transit vota et cum alio facultatibus haud destituta contrahit matrimonium. Quo facto successores feudi denegant dotalitium et dotem illatam vereque probatam offerunt foeminae. Quaeritur an dotalitium secundis nuptiis expiret, foeminaque ad recipiendam dotem de iure teneatur.

§. IV.

Nonnulli in ea versantur opinione, dotalitium, quod viduae vel ex pacto vel ex consuetudine loci competit, restrictum esse ad viduitatem, ita vt existentibus secundis nuptiis successores feudales ad illud exsoluendum amplius cogi nequeant. Rationem huius asserti potissimum in eo quaerunt. 1.) Quod vidua ad secunda vota transiens primo marito a quo dotalitium accepit inferat iniuriam. Quae sententia si secundum ius commune iudicium esset seren- dum speciem veritatis promereri videtur. Scimus etenim odium secundarum nuptiarum iure ciuili tantum fuisse, vt foemina beneficia ipsi alias competentia amitteret.



Sic portio hereditaria ipsi ex bonis praedefuncti mariti relicta, in casu si secundas nuptias contrahebat non iure proprietatis sed ususfructus penes illam remanebat *l. 3. et auth. uxore C. de secund. nupt.* nec liberi ex posteriori matrimonio procreati sibi partem vindicare poterant. 2.) Quod dotalitium potissimum ea intentione constituatur, ut vidua post mortem mariti alimentis dignitati et conditioni praedefuncti conformia percipere queat. Quam ob causam adfirmant dotalitium ad exemplum successionis coniugalis quae in iure civili extat, inuentum esse. Quemadmodum enim iure Iustiniano viduae exstantibus tribus vel paucioribus liberis competeat quarta pars bonorum pro alimentis, ne inopia in opprobrium mariti laboraret, ita pariter in compensationem huius quartae constitutum esse dotalitium censent. IOAN. BESSIAN *ad Consuet. Avernia c. 13. ac II.* In quam sententiam quoque inclinare videtur Auctor Speculi Sueuici Art. 299. das ist daran gesetzt, daß die Frauen um Gutz nicht arbeiten mögen als die Mann, und auch darumb, daß es den Freuen wirs anstand, daß sie sollen nach dem Allmosen gen denn den Mannen — Quod si autem vidua ad secunda transeat vota, cessare hanc rationem putant, cum secundus maritus cuius dignitatem sequitur ipsi alimenta suppeditare teneatur. *Conf. NEVENHAHN de Iur. Viduit.*

## §. V.

Ast haec rationes quibus aduersae sententiae patroni uti solent, rem non decidunt, cum nitantur praesuppositis,



fitis, quae nunquam probari possunt, sed tantum probabilitatem efficiunt. Quod enim secunda vota attinet, inter omnes constat ea hodiernis moribus, nisi consuetudine aliud introductum, nullum mereri odium, hinc etiam poenae iure civili determinatae plane deficiunt. Cui accedit, quod dotalitium beneficium vel lucrum proprie dici nequeat, datur enim uti in definitione diximus in compensationem dotis, et electo dotalitio, cessat repetitio dotis. Idem et dicendum est circa alteram rationem quam ab alimentis desumunt. Negamus penitus, alimentorum causa deberi dotalitium. Quod si enim haec esset vera ratio, successoribus feudalibus etiam incumberet onus dotalitium constituendi, quamvis foemina non intulisset dotem; at scimus contra successores feudales actionem viduae non competere nisi illationem dotis secundum cuius quantitatem determinatur dotalitium probaverit.

CARPZ. P. II. C. El. XLIV. def. 10. lib. VI. Resp. 56. HORN.  
Jurispr. Feud. Cap. XXI. §. 7.

## §. VI.

Quae cum ita sint meliori iure defendi potest sententia; dotalitium per secunda vota in regula nunquam cessare, sed ad dies vitae deberi. Ad cuius probationem potissimum hoc spectat. Dotalitium constituitur in compensationem dotis illatae. Simulac enim illud elegerit vidua, absorbetur dos, nec successores feudales ad eam restituendum adigi possunt. Est igitur dotalitium furro-

ga-



gatum dotis, *CARPZ. de oner. Vassall. feud. c. 4. posit. 2. n. 27.* Ast dotem non amittit vidua etiam si ad secunda transeat vota. Cum igitur in vniuersitatibus surrogatum sapiat naturam eius in cuius locum surrogatur, necessario sequitur dotalitium repraesentare dotem, hinc quod iuris est in dote vera obtinet quoque in dote repraesentatiua. Hinc Icti Ienenses Mens. Nouembr. a. 1633. responderunt: Da die Wittib zum Leibgedinge wehlet, und die in das Lehnguth gewendete Gelder außer Lehn jährlich verzinst nimmt, so geben nach solcher Wittwe Todte die Lehnsfolger nichts heraus, sondern es wird das Lehngeld durch Annehmung des Leibgedinges verschlungen und verzehret.

## §. VII.

Alia ratio ita sentiendi consistit in eo, quod dotalitium vti omnes ferme confitentur sit vfusfructus. Dantur enim respectu habito ad dotem vfurae. De vfusfructu vero ex analogia iuris et legum assistentia constat illum non nisi morte personae expirare, cum sit ius personae cohaerens. Cum igitur illud quod circa vfusfructum in genere valet, etiam ad species sit adplicandum, nulla dari potest ratio, cur secunda vota quae amissionem vfusfructus nunquam efficiunt circa dotalitium mutationem involuere debeant. Cui accedit quod ipsum vocabulum Leibgeding oder Leibguth exprimat lucrum quod personae, et corpori cohaeret et cum eo extinguitur. Hinc *WEHNER. Praët. obs. litt. L.* Verbum Leibgeding explicat per ordinationem quae ideo constituitur, vt eam mulier ad vitam habere debeat. cum quo et conuenit *BEVST. de dot. c. 9.*

## §. VIII.



§. VIII.

Confirmat hanc nostram sententiam Ius Saxonicum l. 3. art. 76. his verbis. Nimmt ein Mann eine Wittve die eigen oder Lehn, oder Zinsgüther zu Leibzucht hat, nec non lib. 2. a. 32. Es mag auch ein Weib ihre Leibzucht zu eigen behalten, noch ihre Erben nach ihren Tode, dieweil man gezeugen mag, das es ihr allein zu ihren Leib gegeben. In utroque textu disertis verbis regula generalis continetur, quod nempe dotalitium ad dies vitae debeatur viduae. Consentit et nobiscum STRYK de success. ab intest. D. 4. C. 2. th. 18. STRUV. Synt. Iur. Feud. c. XIV. §. 13.

§. IX.

Ex his praestructis nec censuram meretur opinio eorum, qui adfirmant, quod vidua dotalitium secundo marito dotis loco inferre queat. Quamvis enim alii inter quos potissimum refertur HARTM. PIST. Quaesf. Iur. Rom. et Sax. P. I. quaesf. 14. n. 10. id in dubium vocare velit, ex ratione quod usufructus dotalitii, quem secundus maritus percipit, ad illum iure maritali nullo respectu ad dotalitium habito, perveniat, nondum tamen haec ratio ita est comparata, ut veritatem rei inuertat. Non enim negandum est, et usufructum dotis loco ab vxore inferri posse; testatur hoc VLPIANVS l. 7. §. 2. ff. de iur. dot. verbis: si usufructus in dotem datus sit et POMPONIUS l. 66. pariter ac TRYPHONINVS l. 78. d. t. probat usufructum dotem constituere posse. Quod si itaque substantia dotis, quam vxor infert, vel alius eius nomine dat, non solum in proprietate sed etiam usufructu consistere possit, omni dubio caret et-

B

iam



iam dotalitium quod uti ex praemissis demonstraui-  
mus, vsumfructum efficit ad substantiam dotis eodem iure ac  
priuilegio quod leges doti concedunt referendum esse.  
Conf. CARPZ. *lib. VI. Resp. 56.*

## §. X.

Haec quae diximus, in regula obtinent, aut cum nulla  
regula sit sine exceptione, non negamus ab eadem esse re-  
cedendum, si aut consuetudo loci aut conuentio par-  
tium contrarium statuatur. Quod si enim introductum  
vel conuentum, ut vidua simulac ad secunda vota  
transeat, amittat dotalitium, successoribus feudali-  
bus vtroque modo competit ius per restitutionem dotis illatae  
euitandi praestationem dotalitii nec foeminae cui consue-  
tudo vel pactum obstat datur ius excipiendi, cum con-  
stet ad casum viduitatis restrictum fuisse dotalitium.

## §. XI.

Hac occasione duae adhuc obueniunt quaestiones,  
quae dubitationem inuoluunt. Ponas casum: Titius cum  
uxore inuit pactum de dotalitio praestando, inferitur clau-  
sula, ut simulac vidua ad secunda vota transeat hoc expiret.  
Post obitum mariti cum secundas contrahat nuptias Titia,  
successores feudales ad pactum prouocantes vltiorem  
praestationem dotalitii denegant, et restitutionem dotis offe-  
runt. Titia recusat dotem nisi cum eadem donationem pro-  
pter nuptias recipiat. Quaeritur vtrum successores ad dona-  
tionem propter nuptias exsoluendam adigi possint. Secun-  
dum iuris ciuilibus principia negatiua sententia obtinet locum.  
Dona-



Donatio enim propter nuptias tantum securitatis loco constituebatur, ne foemina circa dotem sentiat periculum, hinc et ea l. 20. *in f. pr. C. de nupt.* dotem non superare poterat, sed eidem aequalis esse debebat, nec foemina fructus exinde prouenientes sibi vindicabat, sed sola hypotheca gauderet, vi cuius actionem hypothecariam instituere poterat. Conf. MENCCK. *ad Tit. de iur. dot. §. 14.* CARPZOV. *P. II. C. XLII. def. I.* Quemadmodum itaque dos soluto matrimonio ab vxore repeti potest, ita pariter in eodem casu reuertitur donatio propter nuptias ad heredes mariti. Restituta etenim dote cessat securitas, cuius rei gratia haec donatio constituta. Ast si secundum iura hodierna rem considerare velimus, contraria verior est sententia. Datur enim haec donatio non in securitatem, sed potius remunerationem dotis illatae. Exinde foeminae competit ius quaesitum eandem vna cum dote repetendi. Conuenit hoc notioni donationis. Maritus etenim qui donat eo animo hoc fecisse censendus est, vt foemina exinde sentiat lucrum. Cum itaque pacta ex intentione contrahentium percipiant interpretationem, iniqua sane esset decisio, qua ad restituendam donationem foeminam quae recepit dotem condemnare vellemus.

## §. XII.

Altera quaestio consistit in eo, vtrum successores feudales in casu si per secunda vota expiret dotalitium, ad illud praestandum tamdiu teneantur, quamdiu nondum restituta mulieri sit dos. Affirmatiuum nonnulli amplectuntur sententiam, et huius rei rationem in eo quaerunt, quod dotalitium cessare non possit, nisi foemina habeat do-



13 AN DOTALIT. SI FOEM. AD SECUNDA &c.

tem, intuitu cuius prius debetur. Nec iniquum hoc assertum esse videtur, si perpendere velimus, successores, qui exsolutionem dotis protrahunt, versari in culpa, volenti vero non fit iniuria, nec damnum quod quis sua culpa sentit, sentire videtur. At re paulo penitus considerata, contraria sententia maiorem promeretur applausum. Si enim pacto aut consuetudine ad viduitatem restrictum est dotalitium casu existente secundarum nuptiarum in iure cessat dotalitium, et successores conuenti exceptione se defendere possunt. Extincta itaque penitus est obligatio et viduae remanet actio repetendi dotem. Considerantur hac ex parte successores tanquam debitores dotis contra quos eadem actio quae contra alios datur, sibi vindicat locum. Nil praeter moram illis imputari potest, hoc vero efficit, ut interesse morae non autem praestatio dotalitii ab illis exigi possit.





Leipzig, Diss., 1766 H-Z

X 241 79 73









*E. 29. num. 2*  
*1766.45.*  
*15*

EXERCITATIO IVRIDICA  
QVAESTIONEM CONTINENS

AN  
DOTALITIVM SI FOEMINA  
AD SECVNDA VOTA  
TRANSEAT EXPIRET

*P. 406*

QVAM  
ILLVST. ICTORVM ORD. AVCTORITATE  
P R A E S I D E

D. FRID. GOTTLIEB ZOLLERO  
PANDECTAR. P.P. ECCLES. CATHEDR. NVMB. CANON.  
CVRIAE IN PROVINCIA SVPREMAE IVDICII LVSAT.  
INFERIOR. NEC NON FAC. IVR. ASSESS.

IN AVDITORIO ICTORVM

D. XI. SEPT. MDCCLXVI.

P V B L I C E D E F E N D E T  
CHRISTIAN. FRIED. KAVLLFVSS.  
L I P S .

L I P S I A E  
EX OFFICINA BREITKOPFIA.

